



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. I. Circa malorum hominum multitudinem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

militatis, ad manifestationem supremæ dominationis, ad ostendendas misericordiæ suæ divitias. Ideo sanè etiam in fine vitæ quandoque malorum hominum misertus est DEVS, ut & spem ex nonnullorum pessimorum salute concipere, & ex aliquorum bonorum exitio timorem salutarem disceremus.

CAPUT VI.

DE TENTATIONIBUS CIRCA MALOS  
HOMINES.

ETiam circa hos aliquæ tentationes oriri possunt rudioribus, minùtque in Theologia Ascetica instructis Personis, videlicet cur majorum plerumque sit malorum numerus: cur tot bona illis à DEO tribuantur: cur æternâ pœnâ cruciari eos permittat. Quas omnes quæstiones hoc in capite breviter more meo decidam.

§. I.

*Tentatio I. Circa malorum hominum  
multitudinem.*

I. **C**Oleta Monialis, dum ex S. Scriptura audit, quòd jam tempore Noë omnis caro corruperit viam suam, & præterea etiam perpendit, quàm pauci homines boni, si cum malis comparentur, in mundo reperiantur, fatetur candidè suo Pa-

tri Spirituali, se capere non posse, quomodo hæc permissio conformis esse possit divinæ bonitati, & charitati, quâ homines DEUS prosequitur, & salvos fieri cupit. Quæritur, quomodo illi æquitas hujus permissio sit persuadenda?

*Responsio.*

II. Inprimis illi referatur, quid ad hoc dubium S. Augustinus l. 254. de temp. responderit dicens, *Magna materies purgationis bonorum est abundantia malorum.* Nec mihi, volo, dicas: *Saltem esset propter exercitationem nostram, ut essent mali pauci, & boni multi essent.* Non attendis, quia si pauci essent mali, multis non nocerent? *Viique considera vir prudens, quia si multi boni essent, & pauci mali essent, pauci mali multis bonis nocere non auderent. Si non auderent, non exercerent.* Nunc verò quia multi sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos; & cùm laboratur, sudatur; & cùm sudatur, aurum purgatur.

III. Secundò illi ostendat, quòd, cùm ex una parte tot emolumenta ex libertate hominibus permissa sequantur; ex altera verò tam vehementer homines ad malum per inspirationes & tentationes, per malorum exemplum & consortium, & per propriam naturam corruptam impellantur, mirum videri non debere, si plures mali, quàm boni inveniantur.

IV. Tertio illi ostendatur, cùm difficile admodum sit, tot tantisque impulsibus ad malum resistere,

re, & inter malos bonum esse; ex uno autem actu heroico, & generoso passionum victoria major Deo honor & gloria, quam per impiorum scelera inhonoratio, accedat, etiam ex hoc capite bonitati divinæ nihil contrarium fieri, si plura peccata malorum, quam opera bona Justorum permittantur.

V. Quartò illi ostendat, quòd ipsæ etiam perfectiones DEI, maximè longanimitas, Misericordia, & iustitia clariùs elucescant ex malorum hominum multitudine; quis enim neget, longanimitatem DEI per hoc maximè ostendi, quòd tot peccatores tot, tamque gravia peccata committentes non statim ad infernum detrudat? quis Rex terrenus tamdiu dissimularet graves offensas in se perpetratas? sed & Misericordia ejus ex hoc elucet, quòd illos longè infra condignum puniat; tum quòd, ut S. Augustinus l. 12. de civ. c. 3. ait, satius est damnatis plecti, quam æternùm deformes esse meritis culpis sine ullius reformatione pœnæ & decore vindictæ.

§. II.

*Tentatio II. Circa beneficiorum collationem improbis factam.*

VI. **E**usebius homo pauper & egenus advertens, se, licèt bene vivere studeat, gravi rerum omnium inopiâ premi, pessimis autem hominibus omnia ad votum fluere, summamque divitiarum, voluptatum, & honorum abundantiam concedi, gravi-